Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



In diebus illis Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat
prodigia & signa magna in plebe. Surrexerunt autem quidam
de synagoga que appellabatur libertinorum & alexandrinorum &
eorum qui erant a cilicia et asia disputantes cum stephano.
& non poterant resistere sapientie & spiritui qui loquebatur. Audi
entes autem hoc dissecabantur cordibus suis. et stridebant den
tibus in eum. Cum autem esset stephanus plenus spiritu sancto. intendens
in celum. vidit gloriam dei & ihm stantem a dexteris & ait. Ecce
video celos apertos. & filium hominis stantem a dexteris virtutis dei.
Exclamantes autem voce magna. obturaverunt aures suas. &
impetum fecerunt unanimiter in eum. Et eicientes eum
extra ciuitatem lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta sua
secus pedes adolescentis qui vocabatur saulus. lapidabant
ergo stephanum inuocantem & dicentem. Domine ihu. suscipe spiritum
meum. Positis autem genibus. clamauit voce magna dicens.
Domine. ne statuas illis. hoc peccatum. & cum hoc dixisset obdormi
vit in domino. Dixit ihs Secundum matheum. Vae vobis scribe
turbis iudeorum & principibus sacerdotum. Ecce ego mitto ad vos
prophetas & sapientes & scribas. & ex illis occidetis. & crucifi
getis. & ex eis flagellabitis in synagogis vestris. et persequi
mini de ciuitate in ciuitatem. ut veniat super vos omnis
sanguis iustus. qui effusus est super terram a sanguine abel
iusti. usque ad sanguinem zacharie filii barachie. quem occi
distis inter templum et altare. Amen dico vobis venient hec
omnia super generationem istam. Jherusalem. ierusalem. que occidis
prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt. quotiens volui
congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos
suos sub alas & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus